

scientia certa, principio 1. — Licet autem quandoque operari cum conscientia speculative dubia, cum scilicet deposito dubio practico ex dictamine practice certo, seu ex principiis reflexis certis, conscientia efformatur, ut mox agendo de probabilismo dicemus.

II. Dubium mere negativum pro nihilo habendum est; quia in ratione prorsus nulla, aut valde levi fundatur: proinde etsi illud maneat, urget tamen obligatio, vel stat libertas (3), prout antea existebat; nec efficere potest, ut moralis certitudo oppositi subvertatur. Verum si prudens suspicio de errore tibi oriatur, ad inquirendum teneris. Itaque cum posthac casus dubii negativi occurrent, eos, ista regula semel statuta, facile dilues, et idcirco ad solum dubium positivum attendemus — S. Lig. n. 24.

42. **Resolves.** — 1^o Quoties quis dubitat, utrum actus, quem hic et nunc est positurus, sit licitus, necne, diligentiam veritati inquirendae, pro rei gravitate, et personae locique conditione congruam, adhibere tenetur; probos et peritos consulat, eorum praxim investiget, rationesque solo veritatis studio perpendat: secus enim periculo legis violandae ex inquisitionis negligentia se exponit, et eo ipso peccat.

2^o Si inquirere non possit, nec per se rationes utriusque partis pendere valeat, nec alia ratione, v. gr. per principia reflexa a dubio se expedire, tutiorem partem amplectatur; quia secus ageret in dubio *practice-practico*, id est cum conscientia vere dubia, ac sine ullo de actionis honestate certo iudicio.

3^o Qui diligenti ac sufficienti inquisitione peraeta adhuc dubitat, an adsit lex praeciens aut prohibens, huic obtemperare non tenetur; quia efformare sibi conscientiam potest ex principio *reflexo*, scilicet non posse obligare legem, quae inveniri non potest, ut infra, ubi de *probabilismo*, dicitur.

4^o Inepte agunt, qui post actum iam commissum vel omisum apud Doctores vel a Confessario inquirunt, utrum peccaverint; nam peccatum praeteritum non pendet a sequenti iudicio Doctoris aut Confessarii, sed a dictamine practico, quod quis in agendo habuit — Prudenter tamen facit qui interrogat, ut veritatem cognoscat, quo pacto scilicet in futurum in simili casu se gerere possit aut debeat.

43. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *An graviter peccet operans cum dubio practico de peccati gravitate?*

Resp. Affirm. Qui enim agit cum conscientia practice dubia, secundum communia principia peccat ea peccati specie tum morali tum theologica,

(3) Dubium negativum est suspensio assensus ob defectum rationum pro utraque contradictionis parte. Ergo cum hic supponatur ex altera parte certa lex aut libertas, *dubium* sumitur lato quodam sensu pro inani suspicione.

de qua practice, dum agit, dubitat. Ratio est, quia obligationem sane gravem violat praecavendi, ne per ignorantiam aut inadvertentiam voluntariam incidat in legis transgressionem, quae graves esse possint.

QUAER. 2^o *An peccet graviter, qui scit actionem suam esse malam, sed ad eius gravitatem non attendit?*

Resp. Alii censent hunc peccare graviter, vel leviter, prout obiectum peccati est in se grave, vel leve; alii vero semper graviter (4), alii demum venialiter tantum, modo malitiam gravem, saltem in confuso, non apprehendat; quod tamen supponi nequit, ubi agitur de re notabiliter gravi (5). — S. Lig. n. 23.

QUAER. 3^o *Quid agendum sit in casu conscientiae perplexae, quando quis scilicet inter duo praecepta constitutus haeret dubius, quodnam e duobus sequi debeat?*

Resp. Sequentes regulas in perplexitate teneto:

1^o Consule, si possis, Confessarium, vel alios prudentes viros; quia in eo casu ignorantia vincibilis est.

2^o Si consulere nequeas, et adsit necessitas agendi, quia actio sine gravi damno suspendi nequeat, elige quod tibi minus malum videtur, non tamen ita ut malum facias, sed ut magis a malo recedas. Scito autem legem *inferioris ordinis* debere legi *superioris ordinis* cedere.

3^o Si utrumque praeceptum aequae tibi grave videatur, quidvis elige, nec peccabis; non enim peccandi datur necessitas. — S. Lig. n. 10. — V. Casus, n. 43.

CAPUT III.

DE CONSCIENTIA SCRUPULOSA ET LAXA.

ARTICULUS I. — DE CONSCIENTIA SCRUPULOSA.

Conscientia scrupulosa dicitur, quae ex levi imo et vana causa dubitat de alicuius actionis honestate, ideoque formidat de peccato, ubi peccatum non est. Scrupulus enim est inanis apprehensio, seu levis suspicio, qua quis falso iudicat aliquid esse peccatum. Vox autem *scrupulus* repetenda dicitur ex lapillis, seu scrupis, qui calceis viatorum se ingerentes pedibus molestiam creant.

Dicemus breviter de scrupulorum causis, signis, damnis, remediis, necnon de regulis pro poenitentibus scrupulosis, eorumque Confessariis.

(4) Isti nimirum supponunt hunc hominem ita animo comparatum, ut velit agere, etiamsi gravis sit culpa. sunt oppositae; quia non de eadem hypothese, sed de diversa tractant; quocirca facile conciliari possunt.

(5) Ista tamen sententiae vix dici pos-

I. CAUSAE SCRUPULORUM.

44. — Causae scrupulorum praecipuae sunt sequentes :

1^o *Permissio divina*. Non quidem quasi Deus falsas apprehensiones immittat, sed quod has permittens lumen suum subtrahat, ut nimirum homo in anxietates lapsus redeat ad cor, ad meliorem frugem se recipiat, ad Deum recurrere discat, et pro peccatis, patienter sustinendo angorem, satisfaciat, meritum augeat, etc.

2^o *Daemonis operatio*. Dextre enim novit daemon scrupulos fabricare, commovendo sanguinem, alterando humores, varia simulacra phantasiae obiciendo, species diversas componendo, ut tetricam et falsam imaginem peccati efformet, mentem conturbet, a profectu spirituali retrahat, et tandem in animi deiectionem, vel etiam in desperationem coniciat.

3^o *Complexio melancholica et phlegmatica*. Melancholici enim sunt plerumque suspicaces, rerumque, quas apprehendunt, tenaces, et proinde proni ad omnem mali suspicionem; et cum frigidae sint complexionis, facilius timori et pusillanimitati obnoxii sunt, terrenturque ad primam mali speciem.

4^o *Imbecillitas capitis*, vel defectus iudicii naturalis in personis ad timorem propensis; item pusillanimitas et deiectio animi, ob quam timores nescit quis contemnere.

5^o *Nimia sollicitudo* id omne vitandi, quod habet speciem mali; dum enim scrupulosus continuo sibi inelamat: *cave a peccato...*, *attende tibi...*, seipsum sine causa terret et perturbat.

6^o *Consortium cum scrupulosis*; quo spectat et directio a Confessario scrupuloso accepta, lectio casuum conscientiae et asceticorum severiorum facta ab aliquo incauto et minus intelligente; item fuga cuiusvis humanae conversationis fastidiosa.

II. SIGNA SCRUPULORUM, SEU CONSCIENTIAE SCRUPULIS OBNOXIAE.

45. — Plurimum interest, ut animarum moderatores discernant veros scrupulosos a falsis. Saepe enim scrupulosi putantur qui non sunt, et vice versa; et exinde ingentes in directione errores profluunt cum non modico damni spiritualis periculo: multa igitur circumspectione hic opus est. Signa autem praecipua scrupulorum sunt:

1^o *Pertinacia iudicii*, qua quis renuit parere consilii Confessarii, vel sapientium; et dum varios consulit, nullius iudicio acquiescit; imo quanto plures audit eo magis implicatur.

2^o *Frequens mutatio iudicii* ex levibus motivis, unde frequens inconstantia in agendo, mentisque continua perturbatio.

3^o *Timor peccandi in omnibus*, coniunctus cum mentis pertinacia contra iudicium Confessarii, prudentium, vel etiam contra proprium iudicium: unde sequitur frequens interrogatio circa Confessarii responsa, et repetita inquisitio, an in agendo iuxta consilium datum conscientia immunis a culpa esse possit.

4^o *Reflexiones impertinentes* circa circumstantias, quae in actione adfuerunt vel adesse potuerunt, et certitudo in omnibus anxie quaesita.

5^o *Obstinatio ad idem peccatum semper repetendum* in confessione, vel ad illud habendum ceu peccatum, quod tale non esse iam pluries a Confessario declaratum fuit.

6^o *Anxietas continua circa confessiones praeteritas*, non obstante iudicio Confessarii, vel confessionum repetitione.

— Non potest autem, saltem statim, iudicari scrupulosus 1^o qui moderate est sollicitus aut anxius, ne Deum offendant; 2^o qui post vitam in peccatis traductam adhuc angitur, nec post confessionem videtur sibi satisfacisse, sed magis vult confiteri et peccata expiare; 3^o qui deliberate adhuc consentit in gravia peccata, quamvis post commissum peccatum valde angatur, et anxie confiteatur, nam iusta est causa anxietatis, saltem moderatae: potest tamen etiam in hoc haberi verus scrupulosus; 4^o qui in uno tantum vel altero casu habet scrupulum transeunter, nec dubitat, an in hoc vel illo peccaverit.

Caeterum subinde contingit, ut Confessarius non possit post poenitentem prima vel altera vice auditum statim decernere, an sit scrupulosus, etiamsi hic anxius circa multa appareat; quippe anxietatum iusta aliqua ac rationalis causa adesse potest. Multo autem minus Confessarius scrupulosus facile iudicare potest, num poenitens scrupulosus sit, an tantum meticulosus. — Lacroix, lib. 1. n. 517., etc.

III. DAMNA SCRUPULORUM.

46. — Scrupuli generatim gravia incommoda et damna spiritualia, et saepe etiam corporalia secum trahunt, modo non sint a Deo immissi, verum ex culpa hominis perseverent. Praecipua autem damna scrupulorum sunt sequentia:

1^o Nocent corpori; per continuos enim angores cor constringunt, sanguinem corrumpunt, spiritus vitales consumunt, et caput debilitant.

2^o Scrupulosum ineptum efficiunt ad fructuose agendum cum proximo; plerique enim scrupulosi tetrici sunt, et erga domesticos non minus ac erga extraneos morosi.

3^o Nocent obedientiae, aut etiam eam totaliter impediunt; quippe scrupulosus potius nugas ac phantasiae ludibria sectatur: sic ad agen-

dum impellitur contra Dei voluntatem, quae illi per patrem spiritualem aut moderatorem manifestatur.

4^o Orationis studium et amorem debilitant, aut etiam de medio penitus tollunt; quia vim mentis enervant, ad nugas perducendo distrahunt, anxietatibus animum implent, eumque ineptum ad coniunctionem cum Deo faciunt. Hinc sequitur non solum lucrum spirituale *cessans*, sed etiam ingens *damnum emergens*.

5^o Fortitudinem infringunt: quid enim magni audeat, qui totus in nugis occupatur, et neglecta de passionibus suis victoria, tam facile deiicitur animo?

6^o Spem valde imminuunt, aut etiam perimunt, quia res demum eo adducitur, ut amissa in Deum fiducia, in laxitatem declinet. Quomodo enim Deo fidet debite, qui illum ut severissimum exactorem semper intuetur? Scrupulosus igitur, nisi fortiter contra scrupulos pugnet, iis vexatus in desperationem brevi agetur, et cupiditatibus suis frena laxabit, vel saltem vitam miserrimam et cum magno damnationis periculo ducet.

IV. REMEDIA SCRUPULORUM.

47. — Versantur frequenter scrupuli, 1^o circa actiones quotidianas; 2^o circa pravas cogitationes; 3^o circa confessiones. Igitur

I. Scrupulosis, qui in omnibus actionibus anguntur timore peccandi, iniungendum est, ut strenue contra scrupulos agant, ab iisque confitendis absterneant, nisi certissimi sint, ibi adesse peccatum. Quamvis enim sic agendo interdum materialiter peccent, non peccabunt tamen formaliter ratione obedientiae, quam Confessario praestare debent. — S. Lig. n. 17.

II. Scrupulosis, qui pavent assensum praebere, vel praebuisse cuilibet pravae cogitationi contra castitatem, Fidem aut Charitatem, imponendum est, ut has cogitationes velut mera phantasmata despiciant, et absterneant ab huiusmodi cogitationum confessione, nisi iurare possint, se eisdem vere consensisse — S. Lig. n. 15.

III. Scrupulosis, qui semper anxii sunt circa confessiones, praesertim praeteritas, prohibendum est, ne amplius cogitent de culpis vitae antea actae, nec de iis verbum faciant in confessione, nisi iurare possint, 1^o peccata mortalia se perpetrasse; 2^o se nunquam ea confessos esse, praesertim si confessionem generalem iam peregerint. — S. Lig. n. 16.

Porro scrupulosi et timorati, de praeteritis confessionibus anxii, sic interrogandi sunt: 1^o Num celasti scienter peccatum grave? 2^o An proponebas peccata iterare? Si negative utrique postulationi respondeant, valida pronuncianda est eorum confessio.

V. REGULAE PRO SCRUPULOSIS.

48. — 1^o In rebus moralibus non est certitudo in omnibus quaerenda. Hoc pro omnibus valet: sed scrupuloso praecipue applicandum est.

2^o Obedientia summa et caeca Confessario praestanda est, et cum magna humilitate et fiducia in omnibus procedendum.

3^o Dubium, quod in aliis rationabile videri posset, in scrupulosis omnino spernendum est.

4^o Licetum est, imo saepe obligatorium, et interdum sub gravi adversus scrupulos decertare. — S. Lig. n. 17.

5^o Nunquam iteranda confessio, nisi certo sacrilega fuerit; nec postremae confessionis examen unquam innovandum est, etiamsi dubium de peccato gravi omisso suboriri videatur.

6^o Scrupuli contemnendi sunt; nec unquam secum de his disputandum a scrupulosis est.

VI. REGULAE PRO CONFESSARIIS.

1^o Scrutetur Confessarius, an poenitens sit vere scrupulosus..., an in omnibus..., et quaenam sit scrupulorum origo.

2^o Sit patiens, benignus et fortis. Ad ipsum spectant haec Apostoli 2. *Tim. 4. 2.:* *Insta opportune, importune; argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina.*

3^o Postulanti respondeat absque haesitatione et cum imperio; responsis non facile adiiciat rationes; nec iam confessa peccata pluries repeti sinat.

4^o Commendet scrupuloso magnam in bonitate Dei fiduciam, frequentem orationem, otii fugam, examinis brevitatem, cordis humilitatem.

5^o Cum scrupuloso generalibus, non peculiaribus utatur regulis; his enim scrupulosus dirigi non potest, quia ad eas applicandas ineptus est. V. Casus, n. 48.

ARTICULUS II. — DE CONSCIENTIA LAXA.

49. — Conscientia *laxa* ea dicitur, quae ex leviori ratione id, quod illicitum est, licere iudicat; vel veniale tantum peccatum ibi reperit, ubi est mortale: ea videlicet est, quae absque sufficienti ratione iudicium in favorem libertatis inflectit vel ad legem vitandam, vel ad minuendam culpae gravitatem.

Quam maxime periculosa est istiusmodi conscientia, ut attendenti facile patet, proindeque animas iniicit in *viam latam, quae ducit ad perditionem*.

Tripliciter distingui potest, scilicet 1^o conscientia *laxa simpliciter* quae tendit ad libertatem plus aequo extendendam; 2^o conscientia *cauteriata*, quae ex diuturno peccandi habitu peccata gravia, quin etiam gravissima, nihili pendit (1); 3^o conscientia *pharisaica*, quae magna parvi, et vicissim parva magni facit. Nomen ducit ex Phariseis, qui gravissima legis mandata spernebant, dum non lotis manibus manducando, inanesve traditiones praetereundo, se magni peccati reos existimassent.

50. — Quae ad conscientiam laxam generatim pertinent, his paucis complecti licet.

I. Graviter ille peccat, qui scienter laxae conscientiae obsequens, legem aliquam in re gravi transgreditur. Et sane huiusmodi ignorantia, utpote voluntaria, facile superari potest: ergo ipsius ignorantiae praetextu a peccato letali excusari nequit.

II. Imo graviter etiam in re levi peccare potest, si sua illum temeritas ad agendum, quovis dictamine praetermisso et contempto, impellat. Confer quae diximus supra de conscientia dubia. Quae. 1. n. 43.

QUAER. *Quaenam sint conscientiae laxae causae, effectus et remedia?*

Resp. ad primum. Causae sunt omissio orationis, animi tepor, sollicitudo nimia temporalium, atque peccandi consuetudo, quae peccati horrorem tollit, familiaritas cum hominibus vitiosis, vita mollis, quae cor enervat et a rebus spiritualibus avertit.

Resp. ad secundum. Effectus sunt caecitas mentis, durities cordis, quod vix ullis mediis moveri solet, obduratio in malo quae summum salutis periculum inducit, iuxta illud Apost. Rom. 2. 5.: *Secundum duritiam tuam, et impenitentem cor, thesaurizas tibi iram in die irae.*

Resp. ad tertium. Remedia sequentia inter alia proponi possunt: humilis et assidua oratio; sacra exercitia; pia novissimorum meditatio iuxta illud Eccli. 7. 40.: *Memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis*; frequens piorum librorum lectio; quotidiana conscientiae discussio; recursus frequens ad Poenitentiae sacramentum; malorum fuga, et conversatio cum bonis.

(1) Hoc ex reprobo quoque sensu contingit, ad quem homines eiusmodi, obcaecatum cor habentes, deveniunt.

CAPUT IV.

DE CONSCIENTIA PROBABILI ET IMPROBILI.

De tribus agendum est, scilicet 1^o de natura, 2^o de efficacia, 3^o de usu probabilitatis.

ARTICULUS I. — DE NATURA PROBABILITATIS.

§1. — *Opinio* in genere est assensus in alterutrum cum formidine oppositi; seu est adhaesio alterutri e duobus contradictoriis cum formidine alterius.

Opinio vero *probabilis*, seu *sententia probabilis*, est iudicium nitens motivo gravi, licet cum formidine de opposito. — *Opinio* vero *improbabilis* est iudicium, quod motivo solido destituitur.

§2. — *Divisio probabilitatis.* Distinguitur probabilitas.

1^o *Intrinseca*, vel *extrinseca*, prout vel rationibus ex natura rei deductis, vel auctoritati innititur (1). Utraque maior, vel minor esse potest.

2^o *Iuris*, vel *facti*, prout circa iuris existentiam, eiusve applicationem, vel circa aliquod factum versatur.

3^o *Speculativa*, vel *practica*, prout rem in genere, abstrahendo a circumstantiis, vel actum proxime ponendum respicit (2).

4^o *Absoluta*, vel *relativa*, prout talis apparet omnibus vel plerisque, aut uni tantum vel paucis.

5^o *Solitaria*, vel *comparativa*, prout talis apparet in se sola spectata, vel comparatione instituta cum contradictoriae propositionis fundamentis (3).

6^o *Certa*, vel *dubia* aut *tenuis*, prout innititur motivis vel certo, vel dubie tantum solidis.

Probabilitas *comparativa* dividitur per gradus in triplicem, scilicet 1^o in *probabilitatem maiorem*, 2^o *minorem*, 3^o *aequalem*. Quaevis enim propositio potest esse probabilior, vel aequae, vel minus probabilis, quam

(1) Probabilitas *extrinseca intrinsecam* supponit; eatenus nempe DD. auctoritas vim habet, quatenus censi possit aut debeat, eos ad aliquam sententiam tenendam permotos gravi quapiam ratione fuisse. Quocirca si forte deprehendas, illos debili aut etiam prorsus falso fundamento innixos aliquid asseruisse, eorum auctoritas nihil sane momenti assertis addit.

(2) *Speculativam* vel *practicam* forte clarius dixeris opinionem aut sententiam, prout ad dirigendam actionem, quae hic et nunc reapse poni debet, ordinatur aut non ordinatur.

(3) Communius DD. *absolutam* appellant, quam A. dicit *solitariam*; alteram vero *relativam* solent vocare.